


MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1035
12


XXXV


12




ORATIO VICTORII MVTII DE HVMANARVM LITTERARVM PRAESTANTIA

Victorius Mutius Lucinianensis Coß. Decurionibus Sen. Populoq; Papiensi. S. P. D.



ANTA est, viri præstantissimi Papienses, huius vestræ Regiæ ciuitatis vetustas, nobilitas, amplitudo; tantus scientiarum, virtutum & pietatis splendor; tanta deniq; aeris salubritas, agrorum fœcunditas, rerumq; omnium, quas Deus Opt. opifex ad vsum hominum in terris creauit, vbertas: vt nulla sit in orbe terrarum gens neq; tam longinqua, atq; remota; neq; tam fera, atq; agrestis, ad quam non iam diu fama permanauerit, & à qua non felicissima vrbium hęc habeatur. Quæ omnia cum ipse puer adhuc legissem, & viuis verbis Bartholomęi Bassij Lucinianēsis propinqui mei ex ordine Frācisċanorum, qui diu apud vos in hoc celeberrimo Gymnasio Theologiam frequenti auditorio docuit, cognouissem, mira quadā vrbis vestræ cupiditate affectus, qui nunquam è finibus oppidi Luciniani egressus eram, iter inscio patre paucis collectis numulis arripuerim, & confecissem, ni patris solertia, & aucteritas me reuocasset: sed qđ viuo patre, qui me, dū vixit, ex Etruria exire nunquam est passus, non licuit, mox eo de-






 functo

functo perfeci, Verum, cum Bartholomęum, cuius humanitate fretus huc appuleram, non hic, sed Alexandriæ inuenissem, fortuna non est passa me tunc huius vrbis potiri. Itaq; cum duo de viginti annos in Insubria præcipuè Vigleuani, & Alexandriæ Grāmaticam & litteras humanas docuissem, constitui tandem duobus iam annis elapsis suadentibus multis, præcipuè vero Octauiano Meda viro, vt nouistis, optimo & I. C. præstantiss. qui nunc cū Flauio Torto collega non minori virtute viro Illustriss. vestræ Reip. præest, ad vos me conferre, sed cū iniuria temporū, lōga infirmitate, & alijs rebus aduersis viaticum, quod mecum certè nō exiguum attuleram, cōsumpsissem, decreuerā (vt ingenuè fatear) à vobis discedere, & conditiones alicuius oppidi, de multis, quæ mihi honorificas offerebant, accipere, & certe accepissem, ni me non pauci principes viri operā & suffragia sua apud vos mihi polliciti detinuissent. Quamobrem vos etiam, atq; etiam oro, vt mihi de publicis exactionibus aliquid annui honorarij constituatis, quo mihi, & liberis ea saltem, quæ vitæ sunt necessaria, per vos supperant, & animo æquo ac libenti filios vestros litteras & mores docere possim. Magna est certe Grammaticorū penuria vbiq; Magnus est meus erga uos amor & obseruantia, nec exiguā, mihi credite, agnoscetis meam in pueris vestris erudiendis diligentiā, ætatem videtis, patriā & linguam iam scitis, litterę, mores, ac reliquæ qualitates cuiusmodi sint, vestrum quidem est inquirere, sed non meum vel dicere, vel iudicare. Orationem de litterarū humanarum præstantia ad vos per me conscriptā, vobisq; dicatam vna cū hac epistola mitto, vt ex illa tum aliquid litterarū mearū & artium, qualescunq; illę sint, argumentū vobis appareat, tum Grammaticos, & humanarum litterarum doctores complectendos atq; fouendos esse cognoscatis; quæ omnia si non penitus cōtemnenda censetis, date operam quæso, vt re ipsa tum ego, tum cæteri cognoscere possint. Valete. Papiæ XI. Cal. Decembris. M. D. XCII.

ORA-

ORATIO VICTORII MVTII DE HVMANARVM LITTERARVM PRAESTANTIA

Ad Cofs. Decuriones, Senatum, Populumq; Papienfem.



I quis ve.trum, Viri præftantiffimi Papienfes, me dicere incipientem audacem potius, quam fortem; temerarium, quam prudentem; dicacem, quam difertum exiftimabit, quod artem, vt ipfe fentiat, admodum vilem, & certe à multis defpectam non modo ab iniuria populari tuendam, fed etiam præter hominũ doctorum opinionem fummis laudibus efferendam fufceperim: hunc in primis mihi orandum putaui, vt vel præiudicio de mente depofito caufam noftram integer audiat, vel me omnes fe vno excepto hac oratione alloqui arbitretur: Nam mihi nihil negotij, nihil omnino rei cũ ijs effe conftitui, qui velint caufam minime cognitam iudicare. Quare vos oro, viri fapientiffimi Pap. vt de me, cum cognoueritis, de re ipfa, cum audieritis, iudicetis. Nam ego nifi viderem & Platonem philofophorum omnium facilè principem quafi lege quadam fibi impofita cuiufcunque virtutis, artis, aut muneris tractationem ab educatione aufpicantem; ni fcirem viros clariffimos antiquitus, hoc eft, antequam falfæ opiniones homiuum mentes obruerent, in arte docendi ætatẽ confumpfiffe; ni apud auctores complures, eofq; probatiffimos legiffem, Grãmaticos, & Rhetores maximo femper in honore apud Romanos prifcos habitos fuiffe, plurimisq; atq; ampliffimis priuilegijs à fapientiffimis Imperatoribus decoratos: Ni mihi compertum effet Alexandrum Magnum illum Macedonem fe plus magiftris, quam parentibus debere fæpius affirmaffe: Ni deniq; ipfo vfu perfpectum cognitumq; haberem, in bona & in mala educatione felicitatem & miferiam tum priuatam cuiufq;, tum publicam omnium pofitam effe; crederẽ fortaffe cum multis hanc artem docendi effe minimi ponderis, minimiq; inter artes

alias faciendam: Ni artibus omnibus haud quidem eruditum (quis enim mortalium id assequatur?) sed quoquo modo imbutum, & quasi tinctum eum esse oportere cognoscerē, qui has litteras, quas merito humanas appellāt, profiteri velit; ijs assentirer, qui pertenui eruditione, Grammaticis nempe formulis, poetarumque fabellis pertractandis eā contineri asseuerant: Ni labores continuos, molestos, ingentes ex adolescentibus instituendis excipere consueuissem, ab illis starem, qui laboribus perexiguis docendi muneri satisfieri posse nō dubitāt affirmare: Cū ergo hæc omnia secus esse videam, atq; homines arbitrantur, quid agam? quid moliar? quo me vertam? Num contra communem opinionem hanc humanarum litterarū dignitatem oratione mea, quasi paradoxo quodam, tuear, atq; defendam? An potius contra propriam conscientiam obtrectatoribus, quasi hostibus immanissimis, artem illam, à qua humanæ societatis salutem pendere video, non deprimendam modo, sed etiam diripiendam, delendamq; relinquam? Neutrum equidem faciam, viri præstantissimi Papienses, sed ita humanas litteras, easq; profitentes extollam, vt nihil ab hominū sapientissimorum sententia, nihil à veritate discedam. Neq; enim communem opinionem eam esse definio, quæ ab hominum stultissimorum cupiditate profecta omnia priuata vtilitate, & vmbratili quadam, fucataq; dignitate metitur; sed eam, quæ à ratione desumpta, doctrina exculta, virtute confirmata omnia ad publicam hominum salutem refert. Atq; ne vos longius exilibus verbis, inaniq; oratione morer, ego, viri doctissimi Pap. decreui hodierna die hanc humanarum litterarum facultatem nescio qua insigni hominum vel nequitia, vel cæcitate seruituti addictam non solum liberali asserere causa manu, sed vbi eam, (vt equidem spero) in libertatem vendicauero, tantū animi, tantum fiduciæ, tantum roboris ipsa præ se feret, vt in planum campum descendere audeat, & non solum cum Medicina & physica, sed etiam cum ipsa domina rerum iuris legumq; prudentia prælium ineat, ac domum artium omnium spolijs opimis onusta, triumphansque reuertat. Præstate vos mihi, quæso, viri humanissimi, parumper aures vestras attentas, teretes, atq; benignas, dum quæ me dicturum, probaturumq; vobis proposui, quam potero breuissima oratione perstringam: & siqua vel iam audistis, vel audieritis præter opinionem vestram, æqui boniq; consulite; licet enim vobis quæcunq; à me hodie dicta fuerint, quæ aliquo modo aures alicuius vestrum offenderint, disputationis potius, & exercendi rudis ingenij gratia, quam veritatis causa dicta censere. Sed, vt apertius veritas, quam inquirimus, elucescat, imprimis videamus oportet, quid ipsa sit facultas, de qua agimus, quibus in rebus versetur, quid hominibus

nibus

nibus praestet, Est autem, vt verbis paucis multa comprehendam, litterarum, vitaeq; magistra, versatur in Grammatica, Rhetorica, philosophia, his tribus artibus constat, in his tota est, ab his est orta, educata, edocta; Id autem in hominum genus vtilitatis confert, in hoc elaborat, id agit, vt iuuenes perquam excultos, & quam optimos reddat ratione, exemplo, fictione. Itaq; ijs, qui cum litteris artem viuendi docent, post ipsos Grammaticos, & oratores philosophos, historicos, poetas sibi magistros, & adiutores aggregant, Papae, inquitis, quam generosos sibi parentes, & magistros ascribit? quam decoros, quam illustres? Quid igitur? num secus vobis videtur? num Grammaticis formulis, quasi terminis, est circunscriptus, qui Grammaticam docet? num vobis vllo pacto fieri posse videtur, vt quisquam sine multa, & diuturna oratorum lectione dicendi, aut etiam loquendi elegantiam doceat? An vero is vobis iuuentutis moderator probatur, qui, cum optime dicat, pessime tamen viuat, & cum bonis litteris non etiam bonos doceat mores? Ego vero sine philosophis neque rectè dici, neq; rectè viui omnino posse statuo, de ijs autem philosophis loquor, qui virtutes à vitijs distingunt, & non stellarum naturam, situs, motus, vim, potentiãque scrutantur, sed qui viuendi praecepta tradunt, qui quomodo per se soli, quomodo cum domesticis, cum propinquis, cum ciuibus, cum externis, cum amicis, cum inimicis domi, forisq;, in pace, in bello, in republica, & priuata viuere debeant homines ostendunt: Nam quomodo alijs moderabitur, qui ipse sibi moderari nesciat? Quid hoc est aliud, quam si quis caecus, dum alios ducit, omnes secum praecipites trahat, vel artis penitus expers, dum nauem gubernat, socios secum pessundet, ac perdat? vel, dum viae ignarus caeteros ductat, in latrones incurrat, qui illum cum comitibus spolient, caedant, obtruncent? Quid? an non est peius animi, quam corporis naufragium? An non plus mali accidit, si uitiorum, quã si latronum praeda sis factus? sed dubium non est (dicet fortaße quispiã) quin vita moderatio sit ab istis petenda, at dicendi praecepta Rhetorum, est tradere non philosophorum: Rhetorum certè praecepta, sed materia tota est philosophorum, quod optime comprobauit Horatius dicens.

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae. Arte Poe.

Et Cic. ex rerũ abundantia & magnitudine efflorescat & redundet oportet Oratio. Orat.li.1 *Itaq; quoquo teuertis, dilucidè cognoscis artes omnes, quas posui, necessarias esse doctori, quem inquirimus, & de quo agimus: Nã neq; sine philosophia quid dicat inuenire, neq; sine Rhetorica disponere, neq; sine Grammatica eloqui poterit; neq; rursus siue philosophia rectè viuere, nec sine Rhetorica vel ad litteras complectendas, vel ad rectè*

viuen-

viuendum iuuenes poterit adhortari. At per pauci sunt præclari isti doctores, inquitis; Vtinam falsa diceretis, vt essent permulti: Nec tamen (etsi non inficior innumeros esse, qui alijs se ad ea duces præbent, quæ nequidem per transennam ipsi viderunt) tam pauci sunt, quin aliqui reperiantur, si quæratis, pluresque longe essent, si per homines esse liceret: Multi enim ab hoc onere abhorrent non propter molestiam, aut laborem, sed propter hominum opinionem, cum videant doctos, & rudes; segnes, & industrios; laboriosos, & otiosos; bonos, & malos; honestos, & turpes vno nomine omnes haberi: cunq; pauci boni, & docti, per multi vero sint indocti, & mali, vt pauca frumenti grana in magna vel lollij, vel Auena quantitate commista bestijs pro lollio obijci solent, sic boni vna cum malis penitus contemnuntur; nec vident, quæ hominum est incuria & negligentia, bonos nihilominus bonos esse inter malos, quam inter bonos, sicuti frumentum bonum non minus sua natura est bonum inter lollium, auenamque commistum, quam separatum, & à cæteris seminibus prorsus discretum. Quid ergo? cum milites gregarios minimi faciant, etiam per strenuos pugnatores, etiam fortissimos Duces contemnendos putabunt? Atqui, si Iuliano sapientissimo Imperatori, eiusq; decreto lege 7. C. de profes. & Med. ciuitates parerent, artem tanti momenti nullus non vita, & litteris probatus exerceret: Ita enim dicit. Magistros studiorum, doctoresq; excellere oportet facundia & moribus, sed quia singulis ciuitatibus ipse adesse non possum, iubeo quis quis docere vult, non repente, nec temere prosiliat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus decreto curialium mereatur optimorũ consensu conspirante; huic autem legi astipulatur l. 2. C. item de professs. & Med. Quæ leges, si vt debent, seruarentur, sane quidem per multi multos annos litteras & mores discerent, antequam alios docere inciperent, qui complures pueros per tenebras ductant: Nec tamen id à me aut arroganter, aut inuide dictum existimari velim; nã neq; quicquam de medico, neque vllum aut hic, aut alibi nomino, neque sine bonorum exceptione loquor; sed hac de causa in huiusmodi sermonem prorsus inuitus descendi, quia pueros honestissimo loco natos honestissimis quibusque moribus, & præstantissimis quibusq; scientijs excellere cupio, quod quidem fieri nulla ratione potest, dum & quibusuis docere publice licet, & parua patres familias diligentia vtuntur in eorum, quibus liberos suos erudiendos committunt, doctrina moribusq; scrutandis, quandoquidem, & multi sunt, (non de hac vrbe loquor, sed de cunctis) qui, cum nihil sciant omnia se posse docere profitentur, & pueri non ad eos magistros concurrunt, apud quos plurimum proficere possint, sed ad eos, apud quos liceat

omni

omni cum licentia viuere. Itaq; ni patres hac in re prudentissimi, atque diligentissimi sint, pessime se res habet, actum est prorsus de doctrina & moribus ciuitatis, & orbis; Quod an Papiæ fiat, vestrum, haud meum statuo inquirere, videre, iudicare, consulere. Sed iam eò redeat, vnde huc longius fortasse, quam decuit, est oratio nostra digressa; constat inquam hæc ars ex tribus artibus ingenuis omnibus atq; nobilibus. Itaq; licet quis purus, vt aiunt, Grãmaticus sit, tamen in sordida arte, ut pleniq; existimant, non versatur, nam cur alioqui sunt ingenuæ à seruilibus sordidisq; discretæ, si vno loco ingenuas & sordidas habent? An vero non est his temporibus eadem vtilitas, quæ olim fuit, ex arte Grammatica? non ita nunc, vt olim, est necessaria? An vero hac ætate sine Grammatica ad alias artes, & scientias aditus patet, cum minime quondam pateret? Quod si non patet, si ars eadem est, & talis, quæ olim, & qualis fuit, cur propter hominum impudentissimorum, atque stultorum ignorantiam, & improbitatem sua dignitate priuatur? cumq; non modo libera, sed ingenua quoq; sit, atq; ita, vt alia nulla sine hac esse possit: cur seruam ostinatis animis esse asserunt? quæ illos stultitia, quæ ue iniquitas ducit? At quid abiectius, dixerit fortasse quispiam, quam munere quasi lictoris alienos pueros virgula cædendo defungi? Os durum, atq; adeo importunum, & ab hominum genere exterminandum, si quis operam adeo beneuolam, adeo paternam, adeo humanæ societati vtilem, & necessariam vitio vertat, & probro. Pro Deum Immortalem num lictor, num carnifex nobis institutor uidetur, dum ferula in pueros utitur? dum peccata punit? dum vitia exterminat? dum ignorantiam pellit ex animis? Cur non potius index beneuolus, cur non potius pater amãtissimus existimatur? Ecquid, obsecro vos, id aliud est, quam quod eximij statuarij, cæteriq; summi opifices efficiunt, dum quæ opera adhuc rudia vel ipsi, vel alij fecerant, vltimo loco perficiunt, si quid inest vitij tollunt, & ad unguem, vt dicitur, expoliũt, antequam ea populo publicè spectanda exhibeant? An non id in hominibus est faciendum, vt corrigantur, dum teneri sunt, & vitijs depulsis ita ad ciuilem, & verè humanam morum compositionem reducantur, vt, cum in publicum prodeant, nullam reprehensionem inueniant? Valeant, secessant ab hominum cætu, in siluis & solitudine vitam degant, qui vocem tam inportunam, ne dicam immanem, & ferinam, effutiunt. Alius vero vilem Grammaticam dixerit, quod quasi mercede conducti ad docendũ Grammatici veniant; quem, si quis sit, ita reprimam, vt fortè id amplius proferre non audeat: Nam siue tu mercedem, siue stipendium appelles honorarium illud, quod præceptoribus impenditur, siue id sit publice, siue

priuatæ

priuate impensam, dicas mihi velim, quis tandem sit in litterarum genere, qui sine mercede, vel mercedis spe tibi vllo in genere laboret? Quis ex iuris peritis, (vt ab ijs potissimum exordiar, qui summo in honore versantur), siue magistratus, siue causarum patronus aut sententiam sine collybo & sportulis promulgat, aut causam agit sine pretio? Quis tandem vel in hoc celeberrimo scientiarum emporio, vel in alio de arte, seu scientia quapiam sine præmio vel saltem sine spe præmij legit? dicerem grauiora, si liceret, sed reticenda reticeo: Quod si nullus est, qui artem suam sine præmio velit exercere, quæ hæc iniuria est, quæue iniquitas, ne dicam amentia, vt Grammaticos labores continuos, ingentes, molestos sine vllo premio nos velis subire? Sed adest

Pri. Off. *Cic. qui apertissimis verbis sordidas, & seruiles artes ab honestis, liberalibusq; secernit, ita dicens. Illiberales autem & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur; cumq; artes sordidas dixisset, hæc de ingenuis dicit. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris vtilitas quæritur, vt Medicina, Architectura, aut doctrina rerum honestarum, hæ sunt ijs, quorum*

Pol.l.8.c.2 *ordini conueniunt, honestæ. Aristoteles quoq; nobis est præsto dicens, exercitia, artes, disciplinas illas viles esse putandas, quæ corpus, aut animum, aut mentem liberi hominis ad vsum, & opera virtutis inutilem reddant. Num Grammatica vna ex ijs est, quæ homines inutiles reddũt? An non potius vna & sola, qua homines ad omnes artes, & exercitamenta homine digna domi, forisq; aptissimos efficit? & sine qua omnes, vel artes, vel scientias necesse sit ignorari?: quamquam hæc videri possunt, & si verissima sunt, fortasse cuipiam leuiora, cum sine auctoritate Imperatorum, à quibus omnis dignitas petebatur, dicta exilius videantur. Adeste animis ergo, & quæ de Grammatica sanxerint Imperato-*

1. Protophysicos. *res, attendite. Const. Imp. August. l.6.C. de profess. & Med. ita sanxit Medicos, & maxime Archiatros, & Exarchiatros, Grammaticos, & professores, & alios liberalium artium Doctores vna cum vxoribus, & filijs, nec non & rebus, quas in ciuitatibus suis possident, ab omni functione, & ab omnibus muneribus ciuilibus, vel publicis immunes esse præcipimus, & neq; in prouincijs hospites recipere, neq; vllo munere fungi, nec ad iudicium deduci, nec exhiberi, vel iniuriam pati, vt, siquis eos vexauerit, pœna arbitrio Iudicis plectatur; mercedes etiam eorum, & salaria reddi iubemus, quo facilius liberalibus studijs, & memoratis artibus multos instituant. Videte præterea l.6.de exc. tut. & temp. At Grãmaticis, Rhetoribus, sophistis datur immunitas. l. fin. ad finem ff. de mun. & hon. l. Maximarum de excus. mun. l. 1. C. de decr. Dec. l. xi. de*

profes.

profeſ. & Med. quæ omnes, & aliæ leges complures, priuilegia, immunitates, & honores continent Grammaticis, & Rhetoribus per Imperatores traditos, & conceſſos. Taceant iam ergo taceant, & penitus obmuteſcant, quicunq; Grammaticam inter ſordidas, & illiberales artes cõnumerandam aſſeuerant; omnesq; tum ingenuam, tum nobiliſſimam, tum hominum generi vtiliſſimam eſſe fateantur. Sed num iſti otioſi inſectatores, quod de Grammatica dicere nequeunt, de Rhetorica dicere audebunt, aut de Philoſophia? Equidem hominem adeo temerarium, qui artes, & facultates tam nobiles, tam inſignes, tam inclytas deprimere audeat, arbitror neminem, & ſiquis tamen ſit, eum certe non magis, quam aut cuculum, aut coruum audiendum exiſtimo: Nam earum altera eſt, qua eo vno, quo homines beſtijs præſtant, ipſis nos hominibus præſtamus, qua hominum mentes vnde velimus deducimus, & quo velimus impellimus, quæ talis eſt, vt eam Cic. partem præcipuam ciuilis ſcientiæ appellerit, tam difficilis, vt idem rem vnam omnium difficillimam dixerit; tanti momenti, vt eam ſemper in urbanis pacatiſque rebus primas tenuiſſe affirmet, ſecundas iuris ſcientiam: tam late patens, vt ex plurimis artibus ſtudijſq; collectam eſſe aſſerat, negetq; in ea vllum vnquam ſine omni ſapientia floruiſſe, vt clamet ſe mirari, cur ex omni memoria ætatum, temporum, ciuitatum tam exiguus oratorum numerus extiterit. Altera vero eſt, qua rationem excolimus, & mentem, quibus non ſolum animãtibus cunctis præcellimus ſed cũ ipſis nos quodammodo cœleſtibus æquamus, quamq; meritiſſimo Cic. noſter artiũ omnium procreatricem, & quaſi parentem appellat: Nec vlli non penitus indocto dubium eſſe poteſt, quin ipſa ſit virtutum omnium cultrix, vitiorum expultrix, vitæ moderatrix. Quamobrem, cum minus ſit dubitandum quin & iuuentutis moderatori he tres artes vna cum verum multarum, variarumq; cognitione ſint neceſſariæ, & harum quęuis honeſtiſſima ſit, & nobiliſſima; iam illud videamus oportet, vtra duarum alteram dignitate præcellat, hæc ne docendi, an illa medendi facultas; nam Medicina, vt equidem ſpero, deuicta cum iuris prudentia congredi non dubitabimus. Iam ergo in campum Hippocrates aliquis deſcendat, Galenus, Auerroes, aut Auicenna, iſq; in me omnibus viribus ſuas haſtas interqueat; Dum ipſe Ariſtarchi, Demetrij, Apollonij, Donatiue perſonã indutus fortiſſime, quantum potero, conatus illius propulſabo: ſed eccum illum, iam me diſtricto gladio petit, iam, ni caueo, mihi caput abtruncat. Nam ſuperbiſſime, atq; potentiſſime inuadit dicens. Ecquid hominis eſt hic propugnator? Num Milo Crotoniates, qui bouem per ſtadium retento anhelitu portauit, eumq; pugno necatum die vno ſolus deuorauit? An Tritor-

p. de inu. Bruto.

Orat.

De Or. 1.

De Or. 2.

De Or. 1

Orat. l. 1.

nius Buſequa,qui taurum maximum furentem pede aſſumpto retinuit? Num Meſſenius Ariſtomenes, qui ſolus tercentum validiſsimos milites Lacedæmonios interemit? Num Theſeus,num Hercules? nũ Sanſon? qui nos ita contemnat. Pro pudor iam Elephanti, atq; Leones muſtelas, mureſque timebunt. Quid ergo nos fecimus, in quo elaborauerunt curæ,atque vigiliæ noſtræ? Quid tandem Logicam percipiendo ſum lucratus?quid cælum cum philoſophis tam arduo itinere peruagando perfeci?quid mihi ſtellarum naturam, vim,ortus,motus,ſtatus, magnitudinemq;cognouiſſe prodeſt?quid cometarũ,prodigiorumq; reliquorũ prędictiones? Quid pluuiæ,tempeſtatis,æſtus,hyemis,abundantiæ,penuriæ, peſtilentiæ tenere cauſas? Quid animalium omnium naturas tam varias,mores,vires,vitam,mortemque nouiſſe? Quid arborum herbarum, ſtirpiumque omnium vim ſeu bonam,ſeu malam? quid tantam morborum varietatem? quid eorum cauſas? quid eorum remedia, ſi vel Grammatici nobiſcum ſe conferre non dubitant? Nec tamen hoc tanto tanque lethali telo ingentis, ac prope mirę rerum omnium cognitionis in me proiecto quieſcit,ſed alia etiam ad armorum genera confugit: nempe nos ſumus,inquit,qui homines à morbis ad ſanitatem, à doloribus, ad voluptatem,ab infirmitate ad vires,et robur, à morte tandem ad vitam reuocamus. Num tanta,aut etiam maiora Grammatici, vel iſti, qui ſe ſe humaniſtas appellant,hominibus præſtant?Hæc fere ſunt, quæ per uos Medici, nobis obiici ſolent ad excell. ueſtram efferendam: Quæ tamen, ſi ſola eſſent,minimè nos commouerẽt;ſed quaſi vos honeſtum locum obtinere non poſsitis,niſi nos proſtraueritis, etiam multa inſuper additis ad noſtram facultatem deprimendam. Nos videlicet cum pueris ignaris rem habere,nihil cum viris prudentibus,nihil cum doctis agere, qui poſsint de noſtra ſeu doctrina,ſeu ignorantia iudicare, in arte tam cognitu facili verſari, tam ſimplici, tam demiſſa, quæ vel ſine doctore percipi poſsit. Quæ omnia, & ſingula quemadmodum ipſe propulſem obſecro vos, per quam diligenter attendite. Nihil eſt, ò vos phiſici, cur tam elate, tanque magnifice de vobis, tam humiliter, tanque demiße de nobis ſentiatis. Nam ipſe nunc omnium,quotquot ſunt,huius artis cauſam agens,cum vos præſtantiſsima in arte verſari non inficiar, cum nihil in homine Deo ſimilius eſſe confitear, quam ſalutem hominibus dare,cum ea,quæ vos tractatis,mirabiliora,& vendibiliora eſſe non negem:quam ea,quæ nos: Nihilominus concedendum vobis minimè puto,vt vel præſtantior,vel humanæ ſocietati vtilior veſtra, quam noſtra ſit, aut eſſe poſsit induſtria: Nec ob id exiſtimare vos velim cum Hercule, aut cum Herculis ſimile aliquorem habituros: Atqui neque

cum

cum Mutio, qui nihil mutiat, sed cum Herilo, si eum meministis Maroniano,

Nascenti cui tres animos Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat, terna arma mouenda,
Ter letho sternendus erat.

Tres enim animas à Feronia, quam hic interpraetor humanarum litterarum scientiam, hodierno die sum mutuatus. Itaque non est, cur vllo pacto spolia vos mihi detracturos speretis, sed maxime cur in triumphum à iamiam ex Herilo Victorio facto vos vinctos ductum iri timeatis. Nam tantum illum telum à vobis omnibus neruis in me, primum illatum, ac cęlitus vsque demissum ita possem, si vellem, reijcere, vt cum Cic. vobis ostenderem Grammaticam vim pene infinitam artium continere, artemque nostram latissime patere, & quod est iam dictum, nullius facultatis expertem esse oportere eum, qui litteras humanas docere velit, cum ars vestra, & reliquę suis se finibus teneant: sed tamen, vt dixi, vestrum gladium, neque in caput, neq; in latus, neque in scutum excipio, neque vllo modo propulso: sed agilis admodum gladiatoris instar paulum subito de loco cedendo in terram prolabi sino damnosum vobis potius, quam mihi, vt vos putastis, lethalem. Concedo inquam vobis, & prolubens fateor, vos in difficiliori, quam nos, arte versari; quod ob difficultatem sit ars vestra, quam nostra praestantior, id vero pernego, nec magis omnino id vobis concedendum existimo, quam si ex eadem aqua cum liceret è radicibus montis haurire quantum velletis, vos tamen preruptum montem conscendentes aquam ex altissimo puteo hauriretis dementis enim non sapientis est, mea quidem sententia laborem non necessarium quaerere; nec laboris aut periculi trutina, sed fructus, atque vtilitatis, vtra duarum facultatum potior sit, censeo perpendendum; nec priuatae artificis (nam si id est, vicistis) sed publicae populi; auari namque est, pusillanimi, vereque vilissimi labores omnes suos, & opera ad propria commoda: Magnanimi vero, ingenui, vereque fortissimi ad cōmunem omnium salutem referre. Quare hoc praetermisso, quod nos nihil prorsus offendit, illud videamus oportet, num alterū illud telum à vobis illatum clipeo à me exceptū latus attigerit, sanguinemque elicerit, quod ego non sentio: Dicitis enim vos secundo loco, ea de causa laudem ingentem mereri, quod hominibus egris praesto sitis, eisque medicinam faciendo à morbo, à dolore, à morte liberetis; & vera dicitis, nec enim sum vel tam inscius, quin id cognoscam, vel tam iniustus, quin, quod est vestrum, animo lubentissimo vobis concedam: Est enim, vt vere dicitis, in terris nihil diuinius, quam hominibus salutem reddere; sed

 duo

Etic. l. 1. c. 1. *duo hic à vobis peto, prius num illud Aristothelicum vobis probetur. Omnis ars, omnisq; discendi via, actio item, atque electio bonum quoddam expetere videtur; Imò quidem non videtur, inquitis, sed vere expetit, hancque ob causam potissimum nos ceteris omnibus preferendos putamus, quod ars nostra hunc finem expetit, eò dirigitur, atque intenditur omnis, vt homines saluos faciat, quo nihil in operibus hominum potest esse præstantius. Sit ita sane. Sed quid ad illud, quod à vobis secundo loco peto, præstantiora ne, an viliora præferenda censetis? Homines vel stultissimi hoc intelligunt, inquitis, præstantiora tum preferenda, tum eligenda censemus, & dicimus. Bene sit vobis. Sed num molestus ero, si tertium addam? Quid istud? Animum ne præstantiorem putatis, an corpus? Animum multis partibus præstantiorem asserimus, quis non videt? terrenum hoc enim, caducum, corriptibile, mortale; ille vero cælestis, firmus, incorruptibilis, immortalis; commune nobis corpus cum equo, cum mulo, & cæteris animalibus immundissimis; Animus vero cum Angelis, Cherubinis, et ceteris Spiritibus purissimis. Cedite iam victi victeribus arma, phisici, præite vincti triumphum, quando quidem ita estis prostrati, atque deuicti, vt amplius certare nullo modo possitis; huc enim ars vestra tendit, ad hoc vnum cuncta vestra refertur industria; vt corpora hominum bona possint valetudine vti, & quam diutissime viuere; nostra vero, vt animos incorruptissimos seruet, vt vitiis omnibus declinatis virtutes amplectantur, & colant, quo non diu modo, sed perpetuo viuant fama, & memoria hic apud homines, vita autem vera, & æterna in cælis apud Deum. Itaque quanto est animus excellentior corpore, tanto est ars nostra, quã vestra præstantior. Sed iam est tempus, vt vobis prostratis, me victor ad aciem iuris peritorum conuertam: est autem hæc legio prætoria, quæ constructa phalange non patitur debellari, & adhuc quidem se mira virtute seruat inuictam: Attamen ego recenti victoria elatus Herculis instar nullum quantumuis periculosum facinus extimesco; quinimo, quanto periculosius est, tanto illud aggredior animosius; Nec enim sine periculo fieri potest magnam, & memorabile facinus; ut comicus ait; Accedite iam ergo iuris legumq; periti, Accedite, nec vos pudeat, viros fortissimos cum gente imbelle, imbecilla, inerme confligere; namque armis fortissimis etiam nos pugnamus, etsi nulla videtis, quod, an verum sit, vel ex hoc ipso cognoscere potestis, quod tam facile inermes, ut videbamur, phisicorum aciem, licet fortissimam, profligauimus, &, ut dicitur, ad internicionem deleuimus. Itaque non est inquam, cur nos pudeat nobiscum pugnare, tanquam cum hominibus*

Ter.

nullius

nullius gloriæ, nullius nominis, nullarum uirium; sed potius cur nos timeatis, tanquam fortissimos, tanquam uictores. Iam uideo quid agatis, nos penitus indignamini, penitusq; despicitis. Atqui nos nullũ vnquam hostem, neq; timendum, vti fortissimum, neq; contennendum, vti vilissimi existimauimus: Meminimus L. illum Martiũ fortissimum virum Romanum cum paucis Scipionum militibus pœnorum reliquijs duos fortissimos atque victores hostium exercitus vna nocte debellasse, & quod duo fortissimi, & summi nominis Imperatores integris viribus sustinere non potuerant, ipsum non Imperatorem, sed priuatum; non Principem, sed equitem cum paucis fractis hominibus deleuisse. Ne nos spernatis ergo: Nam nos non vna nocte, sed vna hora phisicos, Jurisq; consultos profliga uros speramus, & alteris deuictis eò vos alteros aggredimur audacius, quo nos ipsa victoria facit alacriores. Dicimus nos, asserimus, affirmamus (adeste nam monitos etiam non pugnantes inuadimus) artem nostram maiore dignam laude esse quam vestram. Quid vos? Negamus, inquitis, at aliud expectare non poteram: sed id iure, an iniuria dixerim, iam omnes attendite. Peto primum à vobis vtrum maiore laude dignum existimetis eum ne, qui plus, an eum, qui minus Reip. prodest? Qui plus sanè; nam quis aliter dixerit? At è duobus medicis, quorum alter pharmacis, vnctionibus, venarum incisione, alijsq; remedijs, & medicinis à morbo ęgros vos, a dolore, à morte liberaret; Alter vero antidotis ita vobis bonam, firmamq; valitudinẽ præseruaret, vt omnis ęgrotationis expertes senio confecti cederetis è vita, vter vobis vtilior uideretur? At tanta inest differentia, inquitis, inter hæc duo genera Medicorum, vt siquis horum, quos secundo loco posuisti aliquem inuenire posit, fatuus sit, ni pro vno illo alteros omnes contemnat: Quid enim est illis opus, quidue succis amaris, vbi quis sit, qui nos nullo vnquam morbo vexari patiatur? Agite iam, ne vos diutius morer, vtri vos horum medicorum similes estis, vtri nos? Vos certe id agitis, ne morbi, idest, vitia, quæ pessimi sunt animi morbi, ingrauescant in populo, dum sontes carcere, vinculis, compedibusque coercitis; dum pecunia, cruciatu, exilio, seruitute, dedecore, morte punitis. Nos autem quid agimus? certe, vt virtutibus, & vitijs cognitis horumque perterriti turpitudine, et illarũ pulchritudine allecti bene agere consuescant: Itaque si quod ipsi præcipimus, homines præstarent, nulla opera vestræ opus esset in mundo, nullo iudice, nullo aduocato, nullis lictoribus, nullis carceribus, nullis vinculis, essentq; penitus homines, quales tunc erant, cum Verf. Ou. pr. Met.

Sponte sua sine lege fidem, rectumq; colebant.

1. Offic. *Id enim vere demum est iustū, quod recte fit, si est voluntarium, vt opti-*
cic. *me Cic. & latius Arist. dimostrauit. Quod vero vos id agatis non video; Nam quod homines per vos supplicia metuentes non furentur, non rapiant, non interficiant, non adulteri, non sacrilegi sint, non denique vllo genere iniuriosi, idnentiquam amore virtutis contingit, sed formidine pœnc, quam si tollatis, nullum sceleris genus deerit: Tam diu enim ij, quos multatis, peccata deuitant, quam diu se his à vobis puniendos exhorrent: Nos vero labores nostros eò referimus omnes, vt hanc animis sententiā adolescentes imbibant, id omnino constituant, sibiq; proponant, nihil esse quærendum præter virtutem, nihil præter vitium fugiendum. Nihil vtile esse, quod honestum non sit, nullum in vita malum, nisi peccatum. Quæ quidem qui sibi apud animum proponit, is sine dubio in re priuata, & publica omnibus per quam vtilis erit, is quoscunque poterit, semper consilio, re, opera, vita iuuabit, neminemque vllo pacto læserit, is domi, forisque quod iustum est, & honestum togatus, armatus semper præstabit. Is non priuatæ suæ, sed pub. vtilitati studebit, nulla is ambitione, nulla cupiditate vexabitur; Is tandem rebus, & fortunis suis contentus ita felicem vitam traducet, vt ab hac ad felicissimam illam, æternam, cęlestem ascendat. Quare non video, viri nobilissimi Pap. cur non debeat hæc nostra facultas, & industria cęteris omnibus artibus, facultatibusq; præferri.: Nam, si hæc in eo, quo maxime dignam videtis, honore viueret, si iuuenes Grammaticam, Rhetoricam, moralemq; disciplinam perciperent; nullum est dubium, quin vita hæc nostra, quæ nunc est instar mortis, vita cælesti, atque diuinæ persimilis esset, quod quia non sit,*

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospice tutus,
Nec socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti;
Lurida terribiles miscent Aconita nouercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos;
Victa iacet pietas; & virgo cæde madentes
Vltima cælestum tetras Astrea reliquit.

Demus ergo operam, viri Pap. vt Astrea, id est, Iustitia, quæ in cęlum propter hominum vitia remigrauit, aliquando propter nostras virtutes in terram reuertat, quod mihi credite, facile consequemur, si à pueritia ita homines instituentur, ita viuere assuescant, vt nul-
lam

llam putent vtilitatem ab honestate seiunctam; vt paupertatem, seruitutem, exilium, cruciatum, mortem turpitudini, atque iniustitiæ anteponendam existiment. Hoc autem tunc optime fiet, cum & doctis probatisque hominibus liberos vestros erudiendos commiseritis; & optimum, atque doctissimum quemque summis honoribus dignisque præmijs affeceritis. Dixi

FINIS.



